



**L**VITHPRANDUS filius fuit Cuniperti regis Lon-  
gobardorum fortissimi, qui moriente patre  
sub Asprando tute per uiginti quatuor annos  
uixit, atq; militaribus exercitijs strenuam operam  
nauauit. Eo autem mortuo, magno consensu prin-  
cipum, rex electus est. Anno Cbristi septingente-  
simo decimo. Cum autem sub eius administratio-  
ne Leo Imperator Orientis Exarchum Rauennæ  
haberet, eiq; cōmendasset, ut summis viribus Lon-  
gobardis resisteret, Luithprandus omnē belli uim  
in Hetruriam uertit, & Clusium ui captum, hostili-  
ter diripiuit. Accidit autem commode tum, ut Gre-  
gorius 2 pontifex cū Imperatore simultates exer-  
ceret, quæ adeò inualuerant, quod Leo Exarchē commendaret, ut statim Ro-  
mam proficiseretur, & pontificem ē medio tolleret. Hanc occasionē Luith-  
prandus arripiens, Pontifici ex Spoleto & Vmbria auxilia misit, atq; hac ra-  
tione Italiae urbes à Græcis alienare, & sibi procerum fauorem conciliare uo-  
lebat. Hisce auxilijs Gregorius fretus, Exarchum uenientem à Miluio ponte  
repulit. In ea contentione Longobardi Bononiam in Aemylia, in Flaminia  
Forum Liuj, Forum populij, & Cesenam, in Piceno agro Auxinum occupāt.  
Hisce angustijs pressus Pontifex, cum Luithprando pacem sanciuit. Cum au-  
tem Spoletanus dux pace neglecta, Sutrium intercepisset, atq; Luithprandi  
mandatum, qui oppidum restituere iussit, contemneret, rex cum ingenti ar-  
morum apparatu in Vmbriam transiit, ut maiestatem regiā ab ea iniuria uin-  
dicaret. Verū priusquam uis ulla intenderet, Pontificis opera pax con-  
stituta est.